

moveantur. Neque ergo videtur omnino negandum esse, quod actus illi animæ rationalis, in quibus prægustus beatitudinis formaliter consistit, etiam corpus in participationem aut communionem quandam vocent: quatenus vel inhibent apprehensionem objectorum sensibilibum ætatis propinquorum, per organa seu partes corporis ad percipienda illa dispositas, alias percipiendorum; vel in corpore alterationem aut motus quosdam secum aut post se trahere possunt.

LXXXII. Quemadmodum igitur *Prov. Cap. XVII. v. 22.* dicitur: *Cor letum benefacere, ut medicinam.* & *Cap. XV. v. 13.* *Cor letum decorare faciem;* id est animum ex boni amati præsentis sensu & fruitione, suavi voluptate perfusum, spiritus vegetos sanguinemque nobilem gignere, atque id præstare, ut decora sit vultus atque habitus totius compositio, frons exporrecta, oculi micantes, genæ rubicundæ, labia ac membra reliqua formam bonam aspectuque jucundam referant: prout *παράφρασις B. Geierus* in Comment. idque non tantum valere dicit, quando cor gaudet objecto carnali, sed *primario nobis hic sisti conscientiam bonam, ubi homo de Dei sui reconciliatione ac favore filialiter certus, gaudium concipit ex hac sui cum Deo unione.* Et quando David orat *Psal. LI. v. 10.* *Audire me fac (Deus) gaudium, & letitiam, & exultent ossa, quæ contrivisti:* laudatus interpres *ossa exultare docet, quando non vultus tantum exterior præ se fert letitiam, sed ubi ex animo letamur toti, ut omnes quasi fibræ ac ossa suavitatem illam animi letantis simul persentiscant, motuque suo ac gestibus externis testentur internum illum mentis statum.* Qua ratione etiam cum *Psaltes Ps. LXXXIV. v. 3.* dicit: *Cor meum & caro mea exultant ad Deum vivum;* verba sic exponit ille: *Quotiescunque post sermone mea desideria compos reddor votorum, atque in Spiritu tuas gusto, Domine, delicias, tunc ad te præ gaudio exclamo, canto &c.* Sic in eo, quem tractamus, prægustus beatitudinis neutiquam negandum esse videtur, quod & corpus hac ratione in participationem gaudii perveniat, idque videtur exemplis martyrum ac fidelium aliorum, præsertim qui sub finem hujus vitæ insi-

H

gnio-